

USUS E VERSU X.

- (1) *Ex nobis nil lucri accedit DEO: humiliemur igitur serio: 1. Pet. V, 7. Rom. XI, 32. &c.*
 (2) *Sanguinis humani effuso DEO placere nequit, neque etiam placare DEUM: binc redempti sumus sanguine non meri hominis, sed scipsum offerentis Filii Dei: 1. Joh. I, 7.*
 (3) *Quo magis Dei omnissufficientiam extollimus, nostramque misericordiam deploramus, eò citius misericordiam impetramus.*
 (4) *Nostri corruptio non est laudis divine generatio.*
 (5) *Cadaverum pulvis haudquam Deum celebat: celebrare tamen ipsum possunt defunctorum anima; uti constat ex Apocalypsi.*
 (6) *De Veritate DEI quoad promissa evangelica, nec non legales minas, vid. Locum de attributis divinis.*

USUS E VERSU XI.

- (1) *DEUS, etiamsi audiat universa atque singula, (Psal. CXXXIX, 4.) ut tamen benignè nos audiat, rogarī debet humillimè.*

A (2) *De commiseratione divina vid. L. de attributis divinis.*
 (3) *Auxilium à solo petendum sperandumque Deo.*

USUS E VERSU XII.

- (1) *De visitudine crucis & lucis jam dictum v. 6.*
 (2) *Manus Dei dextra mutare potest omnia: Psal. LXXVII, ii. adeoque luctum in choream, apud pios, choream in luctum, apud impios: Luc. XVI, 25.*
 (3) *Saccum deponimus, quando Detum resipiscensibus nobis in Christo reconciliatum persentiscimus.*
 (4) *Gaudio accingimur, quando spiritum filiale in cordibus testantem experimur: Rom. VIII, 15, 26. 32. Gal. V, 22.*

USUS E VERSU XIII.

- (1) *Hymnos debemus benefactori Domino: ubi tamen imprimis gloria vel anima nostra devotè debet esse occupata, ut omnia siant in spiritu & veritate: Joh. IV, 24.*
 (2) *Silentium nobis imponi hic nequaquam patiamur, neque ex occupationum copia, nec deliciis minime B mundi, &c.*

PSALMI XXXI. DISPOSITIO.

Spes non confundens. Me tibi commendō.

Partes praecipue sunt tres:

I. Petitione liberationis è miseriis sanè grandibus: ubi Psaltes deprecatur (1) confusionem: *ne erubescam unquam vel perenniter*, vers. 2. ratio: *speravi in te*: ibid. (2) rogat erectionem: ratio: *tu justus es*, in praestando promisso, plectendisque impiis: ibid. (3) exauditionem, vers. 3. (4) liberationem celerem, ibid. (5) asyli concessionem seu protectionem, ibid. additur ratio: *tu Domine, semper petra mea perfugiumque meum extitisti*: vers. 4. (6) gubernationem, ratio: *propter nomen famamque tuam*: ibid. (7) educationem è reti, vers. 5. ratio: *tu robur meum*, ibid. (8) custodiam spiritus sui: *in manus tuas commendō spiritum meum*: vers. 6. ratio: (a) *quia tu tum redemisti me*, tum *Deum veracem semper comprobasti te*: ibid. quia (b) *ego semper odi homines vanos*, vers. 7. (c) *speravi econtra in Domino*: ibid. (d) *gavissus sum ob tuam gratiam, miseras meas attendentem, &c.* vers. 8. *me hostibus non permittentem*, vers. 9. *sed libertatem denuò restituentem*, ibid. (9) rogat commiserationem, vers. 10. ratio: *anxius sum*: ibid. *contabuit vultus meus, anima mea, venter meus*: ibid. *vita mea absimitur, anni itidem, robur meum, ossa mea*: ibid. *opprobrio sum & inimicis, & amicis*: vers. 12. *oblivioni datus sum*: vers. 13. *fannas*

audire cogor, vers. 14. *exhorresco tum hostium adversus me collectionem*, tum *exitu mei machinationem*: vers. 14. *Nihilominus persto in fiducia mea filiali immotus*: vers. 15. *certus, penes te meum stare tempus*, vers. 16. (10) *erectionem è persecutorum injuriis*, vers. 16. (11) *illuminationem divini vultus*, vel *intuitum serenum atque gratiosum*: vers. 17. (12) *salvationem benignam*: ibid. (13) *confusionis aversionem: ne erubescam, Domine*: vers. 18. ratio: *invocavi te*: ibid. (14) *Hostium conternationem*: ibid. (15) *obloquentium obturbationem*: vers. 19.

II. Celebratio divinæ bonitatis: ubi (1) exclamatio: *quoniam magna tua bonitas!* partim *timentibus recondita*, partim *sperantibus palam exhibita*: vers. 20. (2) declaratio: per custodiationem contra fastuosos rixosque: vers. 21. (3) laudatio: *benedictus Dominus*: vers. 22. ratio: (a) *mirificam securamque mihi exhibuit gratiam*: ibid. (b) *ancipitem & ferè desperabundum me exaudivit*, vers. 23.

III. Adhortatio fidelium quorumvis: (1) *ad dilectionem Domini*: vers. 24. ratio: *quia partim fidelem se probat, partim superbis pro merito rependit*: ibid. (2) ad confortationem sanctamque animositatem in spe semel concepta: vers. 25.